

gis apparet instituti nostri ratio requirit, originem ac generationem cæterorum Salium tam fixorum quam volatilium & alcalinorum ulterius perscrutari & quomodo ex ipso acido ceu primo hæc propullulent.

§. XXV. Jam dudum Medicorum & Chymicorum haud vulgarium sententia fuit, salia fixa non inexistere ipsis Vegetabilibus formaliter, sed fieri demum ex intima unione particularum terrestrium cum particulis urinosis volatilibus in ipsa concrematione, qua omnia salia fixa conficiuntur. Certum quidem est, quod nunquam sine igne & concrematione tale sal fixum ex vegetabilibus & aliis corporibus produci possit; falsum tamen hoc, quod, uti nonnulli id probare conantur, hæc salia debeantur salibus volatilibus, particulis terrestribus quasi incarceratis, & incuneatis. Si enim hoc esset, semper revocari, ac sisti iterum possent salia volatilia ex ipsis fixis, quod tamen omni experientia reclamat. Nunquam enim Sal volatile ita adjunctione particularum terrestrium vel acidarum figi & inverti potest, ut vel iterum revocari possit, vel saltem volatilitatis vestigia remaneant; Sed potius statuendum esse existimo, Sal acidum quod in vegetabilibus est intime combinatum, ac unitum cum ipsis particulis terrestribus, in calcinatione & concrematione induere schema tale & constituere sal fixum, utpote quævis planta orbata sale tartareo acido nunquam fundit sal fixum; & contra quò copiosius tartareum essentielle sal vegetabilia possident, eò largiorem suppeditant copiam salis fixi; & in quibus corporibus sal acidum paucum & sal volatile copiosum, uti in an-

D

tiscor-